

Vir Ornatissime

50

Litterae tuae (spudet dicere ex quo datae) sex circiter aut septem ab hinc septimanis, ad me pervenere, valetudine tunc parum prospera usum; nec adhuc ad vitae et officii munera satis validum. hoc, ut spero, me, aliquantulum, apud te, excusatum habebit, quod gratias tibi, quas habeo maximas, ob multa tua in me merita, non persolverim. accessit etiam huic infortunio, aliud; quod ego lingua Germanica prorsus indoctus, neminem comperire poteram, qui merita operis tui, satis mihi aperire valuerit. talem autem, ut spero, heri contigit convenire: qui mihi videtur, et textum, et contenta versionis tuae, satis commode explicasse; ignosces attamen (ea est tua humanitas) si, quae de versione tua sentit, liberius indicavero; quae, ex ipsius inclussis literis, plenius et verius, discas, videbis quae paucula objicit; quaeque si rite, objicit, facile emendari queant.

Quae de me scire velle dignaris, vir amplissime, sic accipe.

In Accademia Dubliniensi educatus, ibidemque per plures annos Socius junior, tandem senior, juventuti in artibus instituenda me totum pene dedi; praefector interea per vices (ut suctum apud nos est) nunc philosophiae, nunc theologiae, nunc Graecae linguae, nunc Hebraicae, demum oratoriae per aliquot annos professor. ita tamen ut theologiae, per tempora vacans, semper intentus, verbi Dei praedicator si non eximius attamen non indiligens fierem; tandem caetera omnia partesus, Accademiam reliqui ut theologiae operam unice darem.

Nunc utriusque Ecclesiae Cathedralis hujus urbis (Sacrosanctae Trinitatis scilicet et Sancti Patricii) cancellarius, villulam suburbanam, et in ea hortulum non inamatum colo: quorum ope et corpore, et animo recreatus, invigilo chartis.

Quod de Tindallo quaeris non uni huic sed toti deistarum gregi quantum in me erat, opposui; et ad supremum usque diem opponere decrevi si deo O. M. militis sui indignissimi vires eo usque proferre, et sustineri visum fuerit. diu est ex quo caetera studia omnia post habui ut totus in hoc sim.

Vellem equidem non pentateuchum modo, sed totam sacram Scripturam si per aetatem, et acumen animi liceret, defendere, et dilucidare. sed cum hoc homini longe doctiori, nedum juniori sperare nefas sit, quae me talem, et plus quam quinquagenarium sperare par est? cum igitur omnia nequeam, attamen quas adversarii Sacrae Scripturae partes praecipue impingunt, ego lotis viribus, Deo juvante, propugnare entar.

In hunc finem tractatum quendam de polygamia nuper prae-  
 subjeci, sed ficto nomine, et titulo dubio, idq; consulto: ut de ista, a sua  
 parte militantis opus esse autumantes, avidius perlegant. quem cum editu-  
 fuerit tibi imprimis transmittendum curabo. et quoniam de me studiisq;  
 meis animo adeo ingenuo, et benigno sciscitaris, nil te celabo. occu-  
 -patus sum per menses aliquot elapsos, in conscribenda vita Davidis, huc  
 impulsus magnâ contumeliarum mole, quâ famam tanti viri prorsus  
 opprimere quotidie nituntur adversarii; Bayleum scilicet malitiâ  
 aequiparantes, ingenio et eruditione impares.

Ad cætera quod attinet. diu est ex quo tertia Editio Revelationis  
 examinata &c. Londini prodit, aliquanto auctior. quam vellem ver-  
 -sionem tuam hac auctam!

Doctrina de abstinentia a Sanguine et Suffocato opposuere se tuis  
 adversarii, Cleri omnes, unus præbendarius Eboracensis. Anglus:  
 reliqui duo Hiberni, alter Episcopus. cætera dissertationes nondum al-  
 -versa ium ullum quod audio nactæ sunt.

D. D. Middleton, et Coaterland nil speciale novi; nedum de Fin-  
 nisi quæ, si te clam est, Anglis omnibus innotuit, eum ante nuperam  
 revolutionem, ut loqui solemus, sub regno Jacobi Secundi Ecclesie  
 reformatæ valedixisse tunc se Papistam palam professus, nuper De-  
 -istam. adeo infidelitati confinis superstitio!

Quod te sollicitum habet, animal Mouse deer dictum (Romanis ig-  
 -notum necdum latinum nomen, ut puto, adeptum) est cervini generis,  
 species longe grandior, et amplior, bovem altitudine aequiparans, cor-  
 -nuum longitudine, et latitudine longe excedens. animal procul dubio  
 olim nativum Hibernia dum silvis latioribus scatuit. nunc cultura extorrens,  
 et exterminatum, solis in desertis Americanis asylum invenit.

Spout est vox nautica, per quam intelligere videntur columnam aque  
 -am e mari convolvibiliter exurgentem, donec simili altera inter nubes  
 curret, unde magna vi recidens oboia quæq; per vadit, et per rumpit.  
 deo ut vel naves primaria visam plurimum reformident, et bombardis  
 per rumpere, et evertere satagent.

Vale, vir amplissime et vive felix. ignosce rescriptori tardio, et  
 mihi rationem vite tuæ studiorumq; candidus quæso imperti, cum per  
 otium vacaverit, quod me tibi devinctissimum habebit, cui nihil unquam  
 prius erit quam haberi ut sum, utq; esse gloriosus, tui nominis illustri-  
 -ssimi venerantissimus, inique vir doctissime

Pat. 5<sup>to</sup> et: Aprilis  
 A.D. 1737.

Observantissimus  
 Patricius Delany,

Dublin

22<sup>B</sup>

22

69

45

To the reverend  
Master H. C. LEMKER  
Gentleman and most learned  
Conrector of the great Schoole  
at Lüneburgh



*[Faint handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*